

D
(Voir p. 283)

CHRYSOBULLES DE LÉON AUX HOSPITALIERS

I.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. EgoLeo, Dei gratia rex Armenie, notum facio omnibus hominibus presentibus et futuris quod, mea bona voluntate et meo bono animo, pro salute anime mee omniumque progenitorum meorum, consensu etiam et voluntate domini Rupini, principis Antiochie, dilecti nepotis et heredis mei, dono et concedo Helemosinarie domino fratri Garino de Monte Acuto, venerabili Magistro sancte domus Hospitalis Iherosolimitani et universis fratribus ejusdem domus presentibus et futuris, quoddam casale nomine *Vanerium*, in territorio *Meloni* situm, cum casalibus, guastinis, terris cultis et incultis, aquis, nemoribus, pascuis et aliis omnibus sibi pertinentibus, prout baro Vassilius, unquam melius, utilius et liberius ipsum casale cum pertinentiis suis tenuit, habuit et possedit. Ita etiam quod libère, pacifiée, perpetuo et quiète, sine omni contradictione aut contrarietate mei vel heredum meorum seu fidelium hominum meorum, vel bajulorum, totam terram predicti casalis et maritimam cum portu et introitibus et exitibus suis plenarie possideant, teneant et habeant perpetuo jure ad dominandum, edificandum et meliorandum et quidquid voluerint faciendum, exceptis duabus piscationibus, videlicet *Corvim* et *Saabras*, quas quondam dedi. Ipse autem dominus Magister, consensu et voluntate fratrum suorum de elemosinis Hospitalis amicabiliter dédit mihi decem millia bisantiorum sarracenatorum in auxilio supplendi matrimonii dilecte mee filie quam tradidi in uxorem illustri regi Iherosolimitano; unde ipsi Magistro et ejusdem domus fratribus grates refero copiosas. Ad cujus rei et predicti doni confirmationem presentis scripti paginam regali feci meo sigillo aureo sigillari et literis rubeis mea manu propria scriptis roboravi et approbatione jussi subscriptorum testium roborari. Hujus rei sunt testes:

[De baronibus]: Hostius de Tiberiade.

Adam de Gastum.

Constantius comestabulus.